



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 20. Andreae Dudithii opera.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

**Sæcul. XVI.** „stina die huic pauperi eleemosynam e-  
**A.C. 1589.** „largiri haud potero.„ Denique, cum  
 a quodam amico coenatum venire roga-  
 retur, hoc obsequium acceptare recu-  
 sans aiebat: „in alio loco mihi coenan-  
 „dum est, mortis enim meæ tempus  
 „appropinquat:„ mox ad lectum se de-  
 mittens suos amicos rogabat, ne eum  
 desererent, ubi postea de Religione, &  
 virtute juxta Platonis Philosophi prin-  
 cipia differens animam evomit.

§. XX.

*Andreae Dudithii opera.*

**Sandius l. c.** Hic idem plurima elucubravit opera,  
**pag. 62.** quorum tamen potissima pars de  
 Religionis controversiis agit: porro jam  
 alibi mentionem fecimus de duobus  
 sermonibus Hungariæ Præfulum nomi-  
 ne in Concilio Tridentino ab eo pro-  
 nuntiatis, qui mox Tridenti, ac postea  
 iterato prælo Offenbachii excusi, ac  
 politicis adnotationibus aucti prodie-  
 runt: insuper alibi recensuimus ejus-  
 dem Scriptoris versionem latinam vitæ  
 Cardinalis Poli: præter hæc autem opu-  
 scula exstant adhuc plures hujus Docto-  
 ris epistolæ, quæ inter Monucii literas  
 reperiuntur: denique reliquit plurimas  
 alias epistolas ad Germaniæ Theologos  
 inscriptas, quæ partim nondum typis  
 editæ, partim in Fratrum Polonorum  
 Biblio-

Bibliothecam infertæ habentur, ac vel- Sæcul. XVI.  
 uti totidem sunt apologiæ Socinianæ A.C. 1589.  
 hæresis, cui Dudithius plurimum ad-  
 dictus erat, ubi innumeros pene er-  
 rores circa SS. Trinitatis mysterium  
 spargebat, quos ex Bernardini Ochini,  
 quocum Dudithius literarium commer-  
 cium fovebat, dialogis mutuassee facile  
 deprehenditur: insuper hic idem, si San-  
 dio fides, scripsit de SS. Trinitate, ad-  
 dit tamen idem Auctor, quod hoc opus  
 nondum publicam lucem aspexerit: in-  
 terim ipsemet Dudithius observationes  
 suas edidit, quæ veluti sunt notæ in  
 Fausti Socini disputationem circa Ba-  
 ptismum fluminis: inde vero arrepta  
 occasione Joannes Wolffius Tigurinæ  
 Ecclesiæ Pastorculus suam epistolam  
 anno Christi millesimo quingentesimo  
 sexagesimo nono Cracoviæ in die Pen-  
 tecostes datam vulgabat. Ceterum  
 Dudithius Anno Salutis nostræ mille-  
 simo quingentesimo septuagesimo die  
 prima Augusti ad Theodorum Bezam  
 perscripsit epistolam, in qua hanc agit  
 quæstionem, an Ecclesiæ nomen soli  
 Ecclesiæ Reformatæ competat: hæc  
 epistola Anno post Christum natum mil-  
 lesimo quingentesimo nonagesimo ter-  
 tio Heidelbergensibus literis excusa pro-  
 diit: denique anno Domini millesimo  
 quingentesimo septuagesimo primo ad

Sæcul. XVI  
A. C. 1589.

Joannem Loscium Polonicum Optimatem de Sanctissima Trinitate epistolam exarrabat, quæ postea in Gomari Bibliotheca typis impressa, anno a partu Virginis millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo belgice reddita fuit.

§. XXI.

*Badense colloquium circa Religionem.*

*Spond. ad  
hunc ann.  
num. 33.  
Melch.  
in vit. Theo-  
log. Germ.*

Jam antea Joannes Pistorius in Hassia natus, qui antea Lutheri sectam profitebatur, ab ejuratis suis erroribus ad veræ Ecclesiæ sinum redierat, hoc autem anno in Germania disputatio habebatur inter eundem Pistorium, & Jacobum Andream Schmidelinum, ejusdemque sectæ Socios Tubinganos, quibus Fridericus Mombelgaricus Comes præerat: Pistorius autem, ejusque Socii tanquam Præsidem habebant Jacobum Badensem Marchionem, qui quamvis Lutheranus, cum tamen vacillaret, ut conscientiæ suæ quieti consulere, hanc disputationem institui postulabat: cum ergo hæc concertatio instituta esset de Ecclesia, verisque ejusdem signis ex ipso sacro Codice comprobandis, Schmidelinus a Pistorio suo adversario ad tantas redigebatur angustias, ut cunctos hæreticos in Ecclesia comprehendi, fateri cogeretur, ac insuper, ut se extricaret a proposito argumen-